

Römische Briefe eines Germanikers aus den Jahren 1650 und 1651

Mitgeteilt von Professor Dr. V. O. Ludwig, Stadtpfarrer in Korneuburg.

Der Urkunden- und Akten-Bestand des ehemaligen Wiener Augustiner-Chorherrenstiftes St. Dorothea wurde bei der Aufhebung vom Stifte Klosterneuburg übernommen. Unter diesen besonders für die Geschichte Wiens belangreichen Stücken des Dorotheer-Archives fand ich eine nicht uninteressante Korrespondenz eines Mitgliedes des letztgenannten Stiftes. Augustin Wolfgang Hiellig, der studienhalber von seinem Hause im Jahre 1650 nach Rom in das Collegium Germanicum geschickt wurde, gibt darin seinem Propste einen getreulichen Bericht über seine Reiseerlebnisse, verzeichnet gewissenhaft die aufgewendeten Kosten und benachrichtigt seinen Vorgesetzten über seine Studien zu Rom. Um an der Ursprünglichkeit seiner Schilderung nichts zu ändern, entschloß ich mich, die Briefe im getreuen Wortlaut des Originals den Lesern der RQS und allen Freunden der ewigen Stadt zur Kenntnis zu bringen.

I. Schreiben vom 10. Dezember 1650:

Reverendissimo ac amplissimo Domino Jacobo canonicorum regularium ordinis sancti Augustini ad sanctam Dorotheam Viennae praeposito statuum inferioris Austriae rationum deputato, prelato meo venerandissimo ad manus reverendas Viennae ad sanctam Dorotheam.

Reverendissime ac amplissime Domine, salutem a Domino, obsequia a filio obsequentissimo!

Reverendissimae Dominationis suae literas ab illustri domino Agente illustrissimi Principis Episcopi Viennensis per famulum transmissas accepi, quarum benigna severitate incipiens exordium cum maxima mentis turbatione perlegi, quod quidem (uti arguebar) non animadversum a me emissae salutis et diei vitium, non negligentia, sed vel scribentis celeritas vel infirmitas causavit, dum scilicet vix ab infirmaria redivivus labentibus adhuc imbecillibus manibus quid quomodo scriberem ignoravi, cupiens interim obsequentis filii officia fungi. Itineris rationem, ut reverendissima dominatio petuit, compendiose, quantum licet, subdam, a qua adverti non difficuler poterit, quantis sumptibus hoc Romanum iter indigeat. Itaque Vienna sexta Septembbris abivimus, intra quintum et medium diem Graecium venimus, ibique ob absentiam commoditatum sex diebus praestolari opportuit popinis quoque fere omnibus per mercatores ad nundinas venientes impletis in aureo Grypho fuimus ante portam Murae, ibique pro quavis mensa vel prandio 30 crucigeras solvere coacti sumus, iter totum et Graecensis expectatio fere 19 Fl. summam transcendit. Sex dictis diebus Graecii transactis ob exundantiam in Carniola fluvium et amnium aegre binos equos Graecii Labacum usque acquisivimus pro quibus petiti sunt 20 fl. Acceptos equos una tantum die in Ehrenhausen equitavimus, illo, qui concessit, ultra nobiscum ob viarum ignorantiam, aquarum violentiam equos suos permittere recusante, cui

tandem 4 fl. pro illa die et reduci cuidam Carniolo pro duobus aliis equis ex Ehrenhausen in Labach 10 fl. dedimus. In via plerumque 10 aut 12 grossos addito Trinkgeld, (quod ibi et in Italia de jure esse videbatur dicebaturque "bon mane") expendimus. Aquae et amnes genua nostra, dum in equis sederemus, attingebant, erat ubique sumnum periculum, pluviae fere continuae, frigus praesertim (salvo honore) ob aquas in pedibus intensissimum, amnis unus in gryum fluit, quem ultra 60 vices transire debuimus; hac ergo tempestate quinque et medio die equitantes tandem Labacum venimus, ubi una nocte et altero prandio remanentes in duabus navicellis aut lintribus per fluvium Labacum hora duodecima usque ad noctem abeentes in Ober-Labach, nocteque ibi quiete transacta, equis acceptis summo mane discessimus, cauponi 48 kr. pro cena et lecto datis cum xenio famuli.

Constatbitque Graecio hucusque in Oberlabach inclusive iter totum fere 18 fl. 45 kr. Hinc intra duos dies Goriciam, illinc Musculum equitavimus, consumpsimusque in hoc itinere 11 fl. Dum Musculum veniremus, obviarunt nobis duo patres Jesuitae Germani mutato habitu, nempe P. Paulus Rosmer ss. theologiae doctor et professor Graecii, Pater Aloysius Otto, professor rhetoricae Klagenfurti; emptum itaque eodem, quo vix venimus, vespere panem et vinum in barcam seu navim mediocrem cum velo 8 scudi constitutam comportavimus solvimusque per canalem tota illa nocte usque ad mare, ibique diem expectantes quievimus.

Mane per Altum vento contrario quidem, quem tamen nauclerus noster nomine Angelo, nigerrimus puer, affabre velo fucabatur sibique familiaris reddebat, ad prandium circa horam 3 pomeridianam in Canarli insulam venimus; ubi a Patre Aloysio coemptos et coctos pisces ac conchilia comedimus, noctemque illum in navi ad portum, deducta tamen a littore 20 passus nave super asseres transegimus. Quae nox vero horribili vento nos non parum examinavit, posito tamen velo et malo vento que cessante quievimus, sed non melius, quam licuit. Orto die pleno carbasso circa horam diei 4 pomeridianam Venetiis appulimus, ibique lecta fide recepti in urbem sumus. Constitit ergo hoc iter 11 fl. 30 kr. una cum iis, quae Veneciis prima vice consumpsimus. Morati sumus inibi per 5 dies videndae urbis gratia a "Lion bianco", qui caupo germanus est, carus tamen. Quidquid hic ego de urbe dixero, parum dicam. Vere est miraculum mundi. Post 5 dies, quos Venetiis propter Purgatsch quievimus, ivimus Paduam, data domino doctori Jacobo comitiva, nocte sequenti rursus Venetias reduces illum diem ibi egimus, sumptaque coena in barca cum Purgatsch Boloniam versus abivimus, consumpsimus itaque ante discessum adhuc quisque 3 fl. 45 kr. Purgatschio pro victu ordinario et navi usque Boloniam dedimus 6 fl. 45 kr., misere quidem, tamen aliquando pro cauponae commoditate melius tractati sumus. Venimus Boloniam transita Ferrara intra 4 dies, ibique prima vice ego cum duobus patribus in collegio societatis mansi, tamen ibidem pro videndis pulchris rebus solvendo pro Jesuitis 2 fl. consumpsi intra unum et medium diem. Suscepimus autem Boloniae postae currum vel carrozam, ut vocant, cui usque Lauretum impendere oportuit 6 fl. 45 kr. in Bell' aere 35 kr., in

Rimini 46 kr., in Coriano 35 kr., in Cattolica 46 kr., in Pesaro 46 kr., in Fano 35 kr., in Senogallia 46 kr., in Casa braciata 35 kr., in Ancona cum asinis, quos labente inter viam curru et equis in lutum, accipere de nocte cogebamus 1 fl. 24 kr. Laureti et in aliis locis, in quibus apud Jesuitas mansimus, nihil consumpsimus, nisi quod Ancona Lauretum postam acceperimus, ibique et illa die 1 fl. 40 kr. dederimus quisque. Duobus diebus Laureti in collegio mansi, sacrum audivi saepius in sancta domo, confessus sum et communicavi, thesauro vidi, locus autem iam a me describetur. Domus est similis in latitudine, longitudine, sublimitate capellae Lauretanae Viennae apud PP. Augustinianos, stat in medio magni templi edificati instar crucis magnitudine aequantis aedem sancti Stephani. In sacello crates et cancelli sunt ex mero argento faciente eminentissimo cardinali a Dietrichstein, cuius insignia in illis videntur, lampades argenteae magnae et multae sunt, angeli, statuae, candelabra etc. ex argento. In partibus sunt circiter decem brachia in statura brachii humani mediocris viri tenencia phialas ex puro auro ponderis circiter librarum unius et mediae. Praeterea antependium ex solido argento pulchrius quam in cellis Beatae Virginis. Imagines illuc devotae aureae plurimae, decem, ni fallor, aureae magnae lampades, una in medio ex puro auro catholici regis Hispanarium, cui in magnitudine parem nullum Viennae vidi. Thesaurus aliquot millionum pretium excedit, est ibi una a praedicto rege donata toga beatae Virginis, quae 6000 grandium adamantum habet, aestimata 30.000 aureorum, rursus unus ornatus a magno Poloniae cancellario huc donatus, antependium, casula, stolae duae, 3 manipuli, duae dalmaticae, in volucrum libri ex flavo succino minuto filis aureis ad materiam argenteam seu factam ex argento textili affixo: calix, 2 candelabra, 2 unius Spitami statuae, crucifixus, ampullae cum phiala aut topo ex succino flavo per aurum solidum composito, campana ex argento stilo aureo, pretium eius sunt 70.000 scudi. Aquilae cesareae in magnitudine unius ordinariae patenae ex meris acutis adamantibus aliquot millium aureorum pretio aestimata. Cor aureum adamantibus plenum ad magnitudinem cordis bovini, in quo est effigies regiae Angliae uxoris regis decapitati. Multae aries ex argento, tres (inter quas Augusta Vindelicorum una est) factis (sicut in praesepio ex charta fieri solent) domibus et propugnaculis integrae civitates ex argento magnitudine unius mensae sicut in conventu nostro Viennae sunt. Calices et ampullae aurae plurimae. Cruces ex gemmis, una est crux ab Urbano VIII. illuc donata, quae habet inferius tres instar pulvinarium supra se invicem positas gemmas in magnitudine vel latitudine unius imperialis, grassitiae unius avellanae, sunt tamen hae gemmae quadrangleares, prima est caerulea, secunda rubra, tertia viridis. Inexplicabilis thesaurus, quem tales esse, nisi viderit, vix aliquis credit. Ostenduntur etiam hic scutellae et orbes beatae Virginis, ex quibus ipsa cum puero Jesu comedit; sunt autem proprie runde tiefe Schalen aus Majolika, ex quibus Reverendissimus solet mane iusculum sumere, orbes sunt eiusdem materiae, formati sicut orbes stannei in Germania. Vasa haec picta sunt caeruleo, flavo, viridi colore, sicut die weisse Krüg von Majolika, quos Viennae vendunt Itali. Urbs Lauretum est sita in elevato parumper

monte, tribus leucis (?) a mari, arce munita fortis, arboribus cincta olivarum. Haec de Laureto.

Istinc sumpto curru ex posta, data reverendis Patribus lugubri valedictione cum uno equite Malthensi abivimus ego et duo alii Bononienses clerici, aurigae pro curru solvere debuimus 6 fl. 40 kr. et quia latum erat ob continuas pluvias vix intra 6 dies Roman venimus. Raconattae 35 kr., Maceratae 46 kr., Tolentini 55 kr., Valtimarae 46 kr., Altamutia 35 kr., in Alpia Dignane 46 kr., Spoleti 35 kr., Ternis 46 kr., Narni 35 kr., pro telonio in transitu pontis lapidei trans Tybridem 55 kr., Rignani 46 kr., Castello novo 35 kr., primo porto 46 kr., non procul Roma fracto curru morati 30 kr., Romae aurigae 30 kr., Xenii loco quod me ad collegium vexerit, in domo teloniari et ad portam Urbis 1 fl. 40 kr. Totum ergo iter Laureto Roman 18 fl. 21 kr. excipio multa, oblitus sum, nam hinc inde in urbibus ad domos teloniares pro revisis sarcinis nostris, ad portandis schedulis vel passzetteln, hinc inde quae extra cum compagnia expendi, illa inquam omnia excipio. Totum ergo iter Vienna Roman constabit iuxta praepositarum rationum computationem 100 fl., exceptis, ut dixi, multis pecuniis per oblivionem non memoratis. Vix Roman veni et 33 diebus in meo habitu incedere debui, neque potui scholas frequentre, pro tabernaculo interim 6 fl. 45 kr. solvi, sellam autem 2 fl. 25 kr., quarum pecunarium partem mihi aliquis pater concesserat, addidi tamen duos aureos, quos cum tertio superstites habui, tertium vero, postquam indutus fui, pro consuetudine inviolabili famulis in Trinkgelt expendi, ita enim et omnes faciunt et facere debent. Possum itaque transmissis a reverendissimo pecuniis resarcire, et quod supererit Patri Wilhelmo Fuesman Germano servandum dabo, qui ad meos usus, qui certe plurimi sunt, mihi noverit subvenire. Studia hic multo aliter fiunt ac in Germania, quinque enim professores habemus, tres Theologicos, unum scripturistam, unum hebraeum, et quia ego secundi anni Theologus sum ac legitimo examine dignus pro secundo anno incipiendo aestimatus sum, studiaque celerius gradiuntur, tunc probabiliter ante tres annos absolvam. Heri fuit solennissima disputatio philosophica in collegio nostro, praesente eminentissimo cardinale Panzarolo, protectore collegii et 30 circiter praelatis vel monsignoribus multisque aliis magnatibus. Theses in libello cum emblemate quodam inscriptae sunt praedicto cardinali, qui est vir senex et vere vir sanctus ac collegii amantissimus. De me nunc taceo, scribam pro venia vel licentia ad disputandum, quando venturi R. patris Rectoris (quia iste abibit in Januario, venietque P. Oliva) judicio dignus fuero. Quam licentiam mihi negari non puto.

Roma urbs est agris ac vineis opulentior, quam domibus. Palatia sunt pulchra, magnifica, longe alia quam aula Caesaris, horti in urbe et extra plurimi, antiquitatibus, cryptis, statuis, mensis ex lapidibus pretiosis, cataractis, fluminibus, artificiosis aquae ductibus, floribus, fructibus, arboribus ambulaciis pulcherrimi. Unus hortus est Principis Burgesii tam magnus ac tota urbs Viennensis, Principis Farnesii hortus est supra palatum Neronis apud Capitolium non procul ab antiquo templo Pacis et Amphiteatro. Templum sancti Petri est incredibilis magnitudinis

sicuti quatuor ecclesiae sancti Stephani Viennensis, et non credo sufficere. Penes est palatum Papae, bibliotheca pontificis nobilissima et antiquissima, sed pontifex aliud palatum in monte Cavallo inhabitat, in festo sanctorum omnium fuimus ibi, unus Alumnus dixit orationem; vocatur R. Pater Stephanus Senniei, Liber Baro Ungarus, patri Ambrosio bene notus, qui coram Pontifice in habitu cuiusdam praelati peroravit. Pontifex ab octo viris rubris vestibus indutis portatur in rubra holoserica sella plena auro huius formae ☺ corona papalis est ita ☹ ante illum portatur crux aurea simplex sicuti pedum quoddam, penes illum ex utraque parte duo lata flabella ex plumis albis et rubris, praecedunt cardinales bini et bini, qui, sedente Papa in throno, secundum ordinem senioratus sedent ex utraque parte consequenter in rubris birretis. Tunc temporis, scilicet in festo Sanctorum omnium, sacrum cantavit eminentissimus cardinalis Franciscus Barberinus, collegii nostri et ordinis canonicorum regularium Protector; Papae vero, postquam venit, accepta corona, imposita est mitra episcopalnis aurea, pluviale album et stolam cum rochetto longo gessit portatus adhuc, manus sub pluviali tenet sine chyrothecis; si danda est benedictio, unus cardinalium pluviale ad partem ponit et benedicentis manum sublevat. Sub sacro omnes cardinales positis birretis (quae sunt quadrati rubri) in tali habitu, in quo in monasterio ad fenestram templi in cornu Evangelii depictus est sanctus Hieronymus, ex camellotto eunt et osculantes manum tectam pontificis obedientiam praestant secundum ordinem, ut dixi, senioratus. Atque haec caeremonia fit bis in sacro. Finito sacro, quod praedictus cardinalis cecinit cum infula sine pedo aut cruce, pontifex reassumpta corona reportatus est sursum ad prominentem supra portam palatii quasi chorum, rem cancellatam tapetibus ornatam facta triplici cruce benedictionem et indulgentias plenarias dedit, deinde inflantibus tubicinibus et sonantibus tympanis explosa sunt tormenta. Quando Papa curru procedit, praecedunt tubicines, satellites, Schwizeri autem sicuti trabanti ex utraque parte currus eunt, statim ad currum ex utraque parte eunt sex Schwizeri cum magnis gladiis evaginatis (Schlachtschwerter), post currum rubrum dueae rubrae lecticae albis mulis portatae, deinde duo albi equi pulcherrime ornati, tertio mula alba eodem modo ornata, quos, si vult, Papa equitat, deinde equites cum hastis catefracti. demum plurimi cardinalium et episcoporum currus sex equis. Ante pontificem unus "camerir" crucem auream sedens in equo portat, apud Papam in curru ordinarie sedet quidam cardinalis in habitu rubro.

Papa habet albam togam ex materia Damascena, supra rochetum mucetum ex rubro Atlas suffultum pellibus albis, supra mucetum stolam auream, in capite primo album capitulum ex serico valde tenuo, deinde rubrum sicut Jesuitae portant ex Atlas suffultum pellibus albis, tertio rubrum pileum etiam ex Atlas, et si quando exit, hoc habitu utitur, domi alias totus in alba veste incedit. Et haec est pompa summi pontificis. Ipse pontifex senex est, barbam habet non multorum pilorum bifurcam non plane albam, capillos vix aliquos propter magnam coronam, quae ferme totum caput occupat. Est vir valde humilis et bonus, Germanis praesertim Bavaris bene affectus, tenax et parcus, devotus, longus per-

sona, non valde pinguis, vegetus et boni coloris in facie; si canit, alta voce canit, ut bene audiatur, amans literarum atque Collegii Germanici. Generalis nostri ordinis hodie ad prandium Bononia Romam venit; canonici Lateranensis Congregationis sunt viri docti, prudentes, bonae famae, incedunt albi in rochetis sine rasa in capite corona monachali, sine muceto, capillis tamen non longis. Sunt etiam alii canonici Sanctissimi Salvatoris, qui supra rochetum album scapurale portant et sunt distincti ab illis. Dum essem Bononiae et duce Jesuita monasterium et templum Canonicorum regularium viderem, advolarunt multi et me salutatum additoque parvo capitulo, quod ad Jesuitas potius quam ad illos venerim, duxerunt secum et sic simul cum illis advenientem Generalem osculatus manum salutavi, qui, dum abirem, bis ad me misit, ut ibi, quamdiu lubet, manerem ac alibi non ad popinam sed ad illorum collegium comederem; verum ego occasione non oblata hoc facere non potui, manendum enim erat apud compagniam. Praeterea hic Romae amant Germanos canonicos aiuntque se eos libenter suspicere, ut aliquis Bavarus Monacensis Canonicus regularis ultra mensem apud illos mansit. Statuta illorum nondum scio, sciam tamen et notabo, si semel ad illorum templum et monasterium venero. Collegium Germanicum amplum est, media parte egregia nova structura ornatum, templum parvum est, musica insignis; apud nostrum Magistrum Capellae posset Dominus Wendelinus Hueber discere componere et in organo ludere. Comites iam sunt sex hic, comes Turri, comes Truckses, comes Fugger, comes Kueffstein, comes Athemis, comes Schaffgottz, multi Barones, in universo sunt alumni circiter 80.

Scripseram nuper reverendissimo Domino pro dimissorialibus, quas ego non alias putavi, nisi licentiam accipiendi ordines ab alio episcopo, has rursum peto, harum indigeo, quia cum ego et secundi anni Theologus fui, et primo anno convictor et religiosus subdiaconus, atque ideo iuramentum facere non debebo, ordines accipere non possum, nisi habita a meo ordinario licentia. Religiosus alter, qui Praemonstratensis est, cum non sit sub episcopo, a suo Generali licenciam habet, adeoque et mihi tali licentia opus est. Comes Trauthson nondum venit, expectatur in dies. Religiosorum numerus et incessus est inexplicabilis, credo ego, Romae plura esse tempa quam domus. Sicut Jesuitae incedunt sex aut septem ordines, scholae sunt multae hic, apud Jesuitas in Collegio Romano frequentamus nos, si ad doctoratus promovemur, domi in nostro Collegio sollemniter promovemur coram cardinalibus episcopis, praelatis principibus et magna turba.

Aura Romae est grassa, mane et vespere semper densissimae nebulae, quae mihi continuos catarros causant, ut aliquando vix loqui possim; timeo morbum gravem, vix enim veni et satis graviter infirmatus duabus prope hebdomadibus in infirmitaria iacui; vexor horribiliter arena, quam dum medicus expellere noluit, in lumbos collegit in unam quasi massam instar ovi ex utraque latere, quod me valde affligit. Scripsi pro recepto ad Dominum Parentem, hic enim turpes et longe diversos modos curandi habent; equitatio toties frequentata concussit me et arenam movit, ut vix ambulare quandoque possim.

Rogo, Reverendissima Dominatio, si quas literas mittere velit, ad illustrem Dominum agentem Viennensis Episcopi dirigat, sibique meos dilectissimos parentes commendatos habeat, neque de me sinistrum quid timeat, sed omnia bona speret; geram me, uti decet Religiosum, proinde a benignissimo paternoque sinu non excludat, in sacrificiis sanctisque precibus mei memor et aliis me commendet. Quod novitios, si qui suscepti fuissent, scire desiderem, ratio est, quia cum et ipsi fratres mei et quasi una sint anima mecum, possem ita melius eorum in meis tenuibus precibus meminisse; secundo ne mihi novum videatur, si volente Deo redux fuero, tot esse in monasterio; tertio, ut etiam ego consolationem percipiam certior redditus, tot et tam praeclara esse nostra nova germina Religionis. Quae ratio an mala sit, arbitrio suae Reverendissimae Dominationis relinqu. Sanitatem omnium maxima cum gudio intellexi, Deus prolonget! Bonam monasterii constitutionem libenter video, Deus prosperet! Bene inclinatum erga me Reverendissimae Dominationis animum veneror, retribuere dignare Domine! Denique omnia fecundet Deus. Saluto admodum reverendum Dominum Decanum reliquosque et praesertim patrem Ambrosium ex animo, meque illis commendo; praeterea saluto Dominum Parentem meum et Dominam Matrem, doc-torem Margdorffer, Dominum Augustinum et quos Reverendissimae Dominationi libet ac placet meo nomine salutare. Patrem Angelum ut filius saluto, eius precibus et sacrificiis me commendo, speroque tam Reverendissimam suam Dominationem et Venerabile Capitulum, quam Dominum Parentem ac Dominam Matrem cum Patre Angelo me uti filium agnitos, qualem et ego me indignum commendo. Datum Romae 10. Decembris 1650 ex Collegio Germanico.

Reverendissimae et amplissimae Dominationis suaे minimus in Christo filius

Augustinus Wolfgangus Hiellig m. p.

P. S. Sciatur libenter nomen Reverendissimi Domini Abbatis Altenburgensis cum eius insignibus, quia hic in Collegio fuit. Expecto responsum.

P. S. Hae ultimae sunt literae humili stilo scriptae, quia historicæ sunt, reliquæ paulo magis sapiunt (?) Rheticam, et si quae nova sunt aut scriptu digna, non emanebunt. Boni igitur has consulat Reverendissima Dominatio, longae sunt neque elegantes, scilicet instructioni Reverendissimi obedire cupiens breviores facere non potui.

II. Schreiben vom 13. April 1651.

Reverendissime ac amplissime Domine!

Accepi reverendissimae Dominationis vestrae litteras mense Martio (uti ex illarum principio colligo) ad me datas septima Aprilis, in quibus summo cum gudio Reverendissimae Dominationis vestrae bonum erga me affectum intellexi. Quare sicut in illis meis praemisi integrum quoad ordines suscipiendos intentionem, ita renovo, me non ex ambitione, sed tum ob animae tum ob corporis commodum ad Dei honorem Statum et

Ordinem sacerdotalem anhelare, ac summe optare, proximo Septembri Laureti (ad quem utpote vicinum Romae locum, sicut Cellas Beatae Virginis Viennae) in sacra aede Deo et Immaculatae Virgini Mariae primum missae sacrificium oblaturum: qua gratia nullam omnino in rerum natura majorem existimo et expecto. Quoad doctoratum spero me illum assecuturum, tum ut studiorum meorum fructum ac praemium accipiam, tum ut ad lucrandas Deo animas et verbum Dei depromendum aliquod saltem momentum adderet et efficaciam majorem ipse titulus doctoralis. Qua in re ita profecto omnis superbia abest, ut id pure ad Dei gloriam, meam aliorumque salutem et totius monasterii gloriam ac emolumentum intendam. Circa testimonia egi quoad vires, reverendus pater rector sese aliquod daturum promisit, sed quia non ita sano est corpore, utpote lecto decumbens, id hodie transmittere non [fehlt wohl „possum“]. Mitto tamen nostrum loci, ex quo statum et conditionem meam intelliget facile Reverendissima Vestra Dominatio. De reliquo promitto ea, quae saepe promisi, meque Reverendissimae Dominationi vestrae totique venerabili capitulo humillime commendando. Romae datum 13. Aprilis 1651.

Reverendissimae ac amplissimae Dominationis Vestrae minimus in Christo filius

Agostino Hiellig m. p.

III. Schreiben vom 29. April 1651.

Reverendissime ac Amplissime Domine.

Tam diuturnum Reverendissimae Dominationis silentium quo natum principio et quo continuatum sit consilio, alienis litteris jam percepit; scilicet Jesuitico ortum e cerebro morandum esse persvasit cognoscendae in termino voluntatis meae desiderium. Quidquid sit, uti probe et certe scivi, ita etiam Reverendissimae Dominationis suae sapientissimo reliqui arbitrio. Unum tamen est, quod summe et suprema qua possum humiliante exopto, ut nimirum Reverendissima Dominatio sua nuperrimis Reverendi Patris rectoris litteris respondere dignetur. Alterum autem non minori observatione contendeo, ut quoniam ego iam novem prope mensibus Vienna absum, iamiamque annus ille, quem solvo, ad finem decurrat, immineatque mihi faciundi Romanorum more juramenti tempus, nec non Reverendissima Dominatio sua et ipsius illustrissimi principis arbitrio dimissoriales non utique necessarias recusavit, et pro sapienti Reverendi Patri rectoris arbitrio me ad altiores sacrorum ordinum gradus permissurum ascendere pollicita sit, dignetur saltem tribus verbis Reverendo Patri rectori insinuare, ut ubi ille me dignum esse compererit, ad huiusmodi sacros ordines (expleta tamen aetate et iuxta pontificiae dispensationis tenorem, quae non nisi 13 mensium pro presbyteratu indulgentiam continet) suscipiendos admittat. Promitto autem, me primitias non nisi Viennae dicturum, partim ex ea, quam erga Reverendissimam Dominationem suam totumque capitulum habeo, obligatione; partim autem ob Reverendissimae Dominationis suae nec non Dominorum

Parentum solatium. Spero me benignam audientiam impetraturum.
Romae 29. Aprilis 1651.

Reverendissimae ac Amplissimae Dominationis suae minimus in
Christo filius

Augustinus Hiellig m. p.

IV. Schreiben vom 10. Juni 1651.

Reverendissime ac Amplissime Domine.

Maioribus occupatae Reverendissimae Dominationi Vestrae non vacabit, ut arbitror vel admodum Reverendi Patris rectoris nostri, vel meis litteris respondere. Nihilominus spero ego et certe anxie et hucusque sollicite speraveram, Reverendissimam Dominationem Vestram vel nunc tandem aliquando dignaram Reverendo Patri rectori nostro si non mei commendationem, saltem certe et ad minimum unam vel alteram scribere dictionem. Enimvero valde ille attonitus, cum et ab eminentissimis cardinalibus frequentiores etiam litteras habeat, a Reverendissima Dominatione sua nec uno quidem verbo salutatum esse, cur id fiat a me percontatus, admiratur. Et certe, ne Reverendissima Dominatio Vestra levi se viro scribere credit, si rectori nostro scripserit; idem admodum Reverendus Pater Ioannes Paulus Oliva rector noster tantum in urbe momentum habet, ut (cum sit post Reverendissimum Patrem Campanam Dominicanum Vaticanae Ecclesiae concionatorem alter celeberrimus divini verbi praeco in Basilica dicta: Maria Maggior) multi et propemodum omnes eminentissimi Cardinales vel ablaturi regendae ecclesiae catholicae consilium vel conscientiae directionem indepturi adveniant eumque instar Apollinis Delphici oracula audituri frequentent: etenim ad sanctum Apollinarem non erat ponendus alias, nisi talis Apollo. Rogo itaque per quam humillime, Reverendissima Dominatio utrique nostrum, Rectori scilicet et mihi, scribere tandem aliquando meque in suo paterno affectu et sinu commendatum habere dignetur. Die Festo Corporis Christi nobilissimam Summus Pontifex habuit processionem, quam alia occasione secundum longum describam. Romae ex Sancto Apollinari 10. Junii 1651.

Reverendissimae ac amplissimae Dominationis suae minimus in Christo servus et filius

Augustinus Wolfgangus Hiellig, m. p.

PS. Haberem aliquas litteras, quas libenter transmitterem, si modo R. Dom. sua inoffenso pede eas velit transcurrere.

PS. Misi per Franciscanos R. Dom. sua Crucem unam Hispanicam veram pro Natalitio S. Jacobi vinculo. Missem majora, si occasio pateretur; spero hanc Cruculam a R. Domino benigno animo suscep- tum iri. —

**

Über die weiteren Schicksale des Briefschreibers konnte ich bisher nichts mehr erfahren.